

distincta ab alia. Vnde non est Pater notionale tantum ens, sed reale, & distinctum à Filio. Id quod vel in vno Christi baptismo apparuit, vbi Pater de caelis loquitur: Filius in Iordane à Ioanne baptizatur: Spiritus sanctus in columbæ formam descendit, Matth. 3. vers. 16. 2 Error Noeti, in eo est, quòd se Mosen esse dixit: fratrem autem suum Aaronem, vt suas blasphemias pulchro nomine commendaret. Ex quo eum fermento Pharisaico & Iudaico imbutum & corruptum fuisse facile colligi potest. Et hæc de tam olida peste dicta sint.

CAP. XXXVII.

Valesiorum hæreticorum erroris caput duplex.

Valesii: & seipso castrant, 2 & hospites suos, hoc modo existimantes Deo se debere seruire. Alia quoque hæretica docere dicuntur, & turpia, sed quæ illa sint, nec ipse commemorauit Epiphanius, nec vsquam potui reperire.

I (Valesii.) Valesios à Valente quodam dictos esse scribit Epiphanius, qui fuerit Arabs, ex Bacacamis oppido, quod ipse Bacathon appellat, Plinius autem libr. 6. Natur. histor. capite 28. Bacacamis: & in ea Arabia regione situm est, quod ultra Iordanem & mare mortuum ad Petram Arabiam pertinet, quam Philadelphicam Epiphanius nominari scribit. Idem cum Epiphanio sentit Damascenus. Quâdo autem & vnde hæc hæresis extiterit, quæstio est, quæ facile propter oblitteratam iam pridem huius sectæ memoriam definiri nõ potest.

632